

propositio aut liber laborat et repugnat cum fide vel bonis moribus, dicitur *censura* seu *nota theologica*.

Censurarum autem applicatio pluribus simul propositionibus fit, aut *in particulari*, aut *in globo*: in particulari, quando unicuique propositioni sua nota aut suae notae inuruntur; in globo, quando omnes damnantur sub pluribus *respective* notis, nec dicitur qualem notam aut quales notas unaquaeque incurrat. In quo ultimo casu, duo asseruntur, nempe: 1° nullam esse notam inter expressas, quae non cadat in aliquam e propositionibus damnatis; 2° nullam esse ex his propositionibus quae unam saltem ex notis expressis non mereatur.

Jam vero, posito jure magisterii divinitus tradito, evidentissimum est Ecclesiam habere facultatem sententias doctrinales proferendi quocumque modo, prout magis utile et opportunum judicaverit; Christus enim concedendo jus, non determinavit modum quo exerceri debeat.

294. II. De praedicatione verbi.

Ecclesia verbi praedicatione magisterium suum exercet: 1° missionarios ubique terrarum mittendo, a quibus Evangelium magis ac magis propagetur; 2° instituendo divini verbi praecones, qui fideles aut concionibus aut catechismis doctrinam sacram edoceant; 3° providendo ut edantur, servatis cautionibus ab ea bene visis, libri circa religionem, sive ad demonstranda aut explananda dogmata, sive ad confutandos errores fidei vel bonis moribus contrarios.

Quae omnia jura evidenter includuntur in Christi verbis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi*

vobis... Praedicate Evangelium omni creaturae. Mandat itaque Christus Apostolis eorumque successoribus, ut nondum baptizatos, cujuscumque sint gentis, evangelizent; et ut omnes baptizatos, cujuscumque sint conditionis, edoceant servare ipsius mandata. Duplex vero illud officium impletur ordinarie, et praedicatione verbi et librorum evulgatione. Quia autem tale officium immediate a Christo Ecclesia acceperit, in hoc exercendo nulli humanae potestati subjicitur, sed, e contra, omnes etiam principes huic se submittere tenentur, cum et ipsos Ecclesia edocere debeat.

QUAESTIO V^a

An et quatenus Ecclesia scholarum ope magisterium suum exercent?

(Vide D. Benoit: *les Erreurs modernes*, t. I., p. 101... 127. — Card. Zigliara: *Summa philosophica*, t. III., *Phil. mor.*, pars 2^a, *Jus naturae*, lib. 2. c. 3. art. v. n. 5... 10; et cap. 4. art. 3 n. 5.)

295. Resp. Hodierni increduli, cum velint Statum civilem nullam omnino profiteri religionem, concludunt in scholis ab auctoritate publica temporali constitutis, tradendam esse alumnis institutionem quam *laicalem* vocant, seu, in qua nulla Dei et religionis mentio habeatur.

Ut autem ope hujusmodi scholarum laicalium, venenum Naturalismi ac Rationalismi nascentibus generationibus abunde propinetur, tria reclamant: 1° monopolia universitaria, vi quorum solae scholae ab auctoritate civili erectae a juvenibus frequentari

valeant; 2° ut omnibus patribus familias imponatur obligatio suos liberos tradendi a magistris scholarum instituendos; 3° ne, sub praetextu paupertatis, aliqui se excusent, gratuitatem scholarum in pauperum favorem, quamvis revera gratuitae censi non debeant; siquidem scholae publicae, non eleemosynarum et subscriptionum ope sustententur, sed per tributa a civibus necessario persolvenda.

Quae luctuosa machinatio sic a Pio IX in Encyclica *Quanta cura* denuntiatur: « Funestissimum Communismi et Socialismi docentes ac profitentes errorem, asserunt societatem domesticam, seu familiam, totam suae existantiae rationem a jure duntaxat civili mutuari, proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandae. Quibus impiis opinionibus machinationibusque, in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis in juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur. — Quocirca, nunquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque nefandis modis divexare, et edicere ipsum clerum, utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum, ab omni juventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum. »

296. Jus illud gubernii super scholas, omnis interventus et influxus Ecclesiae exclusivum, sic defendere conantur :

1° Ad statum civilem spectat, pueris omnibus in eius sinu degentibus, ea procurare beneficia quibus membra societatis temporalis utilia efficientur, ac proinde beneficium institutionis tum intellectualis, tum moralis. Atqui, in procurando institutionis beneficio, status civilis non debet ullius religionis doctrinam et officia pensare, cum non detur, nec, in praesenti societatum conditione, dari possit religio Status. Ergo id solum tenetur praestare, ut extra scholam alumni libere religionis quam maluerint doctrinam et officia ediscere valeant.

2° Praeterea, instructio liberorum maxime ad bonum societatis civilis publicum confert. Ergo Status civilis jus habet sibi proprium, obligandi patres familias ut suorum filiorum instructioni provideant. Jam vero, qui proprium jus habet aliquem finem obtinendi, potest ea media eligere quae ad hunc finem melius conducere existimat. Status itaque civilis potest nutu suo determinare conditiones educationis pueris tradendae, quin Ecclesia in scholarum disciplina et studiis sese intromittat.

3° Praeterea, auctoritati civili exclusive competit jus conferendi gradus academicos; siquidem per eos legaliter et authentice constat de alicujus aptitudine, ad exercenda quaedam officia bonum commune respicientia, quod judicium est de foro solius principis secularis. Atqui, jus conferendi gradus academicos secum fert jus determinandi rationem studiorum, et exigendi ut scientia competens accipiatur in scholis officialibus. Ergo Status civilis habet jus saltem in educationem intellectualem filiorum familias.

297. Sed contra dico 1° : *Religiosa juventutis*

educatio ad Ecclesiam, ex ipsa Dei constitutione, spectat.

1° Videtur de fide ex concilio Lugdunensi secundo, sic se habente (*Decreto xxv, n. 1*) : « Religiosa juven-
« tutis educatio ad Ecclesiam, utpote Christianorum
« matrem ac Magistram, ex ipsa Dei constitutione
« spectat; et omnis sexus, omnis aetas, in his Christi
« verbis : *docete omnes gentes*, ita includitur, ut
« non nisi conculcatis et pastorum et familiarum sanc-
« tissimis juribus, asseri queat docendi ea omnia
« quae ad disciplinam christianam conferunt, et ideo
« omnium doctrinarum magisteriis invigilandi potes-
« tatem, Ecclesiae competere ex mera constitutione
« humana. »

2° Constat verbis Christi : *Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*. Quae ultima verba : *docentes eos*, de baptizatis omnibus, cujuscumque aetatis, imo praesertim de juvenibus minus eruditis intelligi debent. Jam vero, juvenes maxime per educationem christianam edocentur servare omnia quaecumque Christus mandavit.

3° Constat *ratione evidenti*. Ad Ecclesiam, ex ipsa Dei institutione, pertinet efficere ut homines baptizati ad vitae sanctitatem informentur. Cum enim ab Ecclesia, per baptismum, accipiatur vita supernaturalis, ejusdem est Ecclesiae, veluti matris, vitam filiis suis spiritualibus a se communicatam servare et perficere. Atqui illa vitae supernaturalis conservatio et evolutio obtinetur praecipue per christianam juventutis educationem, de quo sapientissime nos monet Leo XIII, in sua Encyclica : *Nobilissima Galliarum gens*, 8 Februarii 1884 : « Quorum prima aetas ad religio-

« nem erudita non est, sine ulla cognitione adolescent
« rerum maximarum, quae in hominibus alere virtu-
« tum studia, et appetitus regere rationi contrarios
« solae possunt. Cujusmodi illae sunt de Deo Creatore
« notiones, de Deo Judice et Vindice, de poenis prae-
« miisque alterius vitae exspectandis, de praesidiis
« coelestibus per Jesum Christum allatis, ad illa ipsa
« officia diligenter sancteque servanda. His non cogni-
« tis, male sane omnis futura est animorum cultura,
« insueti ad verecundiam Dei adolescentes, nullam
« ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque
« cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad
« miscendas civitates pertrahentur. »

298. Dico 2° : *Potest Ecclesia, proprio jure, erigere scholas, in quibus scientiae et artes eo tradantur modo, quo discipulorum animi in fide et bonis moribus magis proficiant.*

Etenim, ad Ecclesiam spectat, ut modo diximus, filios quos spiritualiter per baptismum genuit, christiane instituere et educare. Hoc autem munus committit parentibus, qui, providendo ut liberi sui christiane educentur, vices gerunt Ecclesiae matris. Sed nonnunquam in familiae sinu completam dari filiis educationem, vel non est possibile, vel minus expedit; quo in casu ad scholam recurrendum est. Schola igitur est medium implendi munus Ecclesiae a Christo commissum, et per Ecclesiam parentibus delegatum. Atqui repugnat Ecclesiam non habere jus proprium providendi de mediis, quibus munus sibi a Christo commissum impleri valeat. Ergo jus proprium habet erigendi scholas pro juvenibus christiane informandis.

299. Dico 3° : *Ecclesia habet auctoritatem moderatricem super omnes scholas, etiam independenter ab ea erectas, et in quibus juvenus christiana instituitur.*

Prob. 1° ex *Syllabo* Pii IX, duas sequentes propositiones reprobantis : « Totum scholarum publicarum « regimen, in quibus juvenus christiana alicujus rei- « publicae instituitur, episcopalibus duntaxat semi- « nariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet « attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, « ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur « jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regi- « mine studiorum, in graduum collatione, in delectu « aut approbatione magistrorum. » (*Prop. XLV.*) « Postulat optima societatis civilis ratio, ut populares « scholae, quae patent omnibus cujusque e populo « classis pueris, ac publica universim instituta quae « litteris severioribusque disciplinis tradendis, et « educationi juvenutis curandae sunt destinata, exi- « mantur ab omni Ecclesiae auctoritate moderatrice « vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae « auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium « placita, et ad communium aetatis opinionum amus- « sim. » (*Prop. XLVII.*)

Prob. 2° ex *divina Ecclesiae missione*. Ecclesia enim, ex supra probatis, potest et debet invigilare ne fidei aut morum integritati scientiae afferant praejudicium. Atqui illud praejudicium ex triplici capite imminet : 1° si adolescentes a magistris aut incautis, aut impiis ac perversis scientias male ediscant; 2° si in scholis nihil audiant de veritatibus religiosis; siquidem extra scholam, et tempus et zelus

illas ediscendi plerumque deficient; 3° si disciplina in collegiis vicens non sit apta quae juvenum passiones cohibeat, eosque ad mores christianos informet. Ergo Ecclesia habet jus proprium praefatis malis obviandi, quantum possibile est moraliter.

Quae salutaris auctoritas, vis et ingerentia Ecclesiae super scholas, exercetur erga earumdem superiores ac magistros christianos, impediendo, scilicet, ne alumnorum suorum spiritualem culturam negligant; item erga alumnos ipsos, prohibendo ne adeantur magistri, ex quorum agendi ratione prudenter timetur ne corrumpantur discipulorum mentes, sive errores contra fidem combibendo, sive spiritum rationalisticum induendo, sive demum ex hypocrita ac exitiosa abstentione circa veritates religiosas, quae sic brevi et in oblivionem et in contemptum veniunt. His omnibus consonat damnatio propositionis sequentis in *Syllabo* : « Catholicis viris probari potest ea juven- « tutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide « et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum « dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis « vitae fines tantummodo, vel saltem primum « spectat. » (*Prop. XLVIII.*)

300. Dico 4° : *Jus Ecclesiae attributum super scholas, nullatenus Status civilis juribus derogat.*

Dicunt adversarii, ad Statum civilem nativo et proprio jure pertinere munus institutoris erga universam reipublicae juventutem; ita ut instructio publica jam non sit nisi pars quaedam temporalis administrationis, quam princeps per praepositos a se cives gerere consuevit; et ideo magistros scholarum non parentum praecise, sed Status civilis gerere

vices. Nihil igitur mirum, concludunt, si Status parentum filios quasi rem suam vindicet et educandos suscipiat.

At theoria illa est plane falsa. Etenim, ad eum solum proprio et nativo jure pertinet educationis officium, qui vitae per educationem servandae ac evolvendae auctor fuit. Ergo ad parentes, qui sunt vitae naturalis principium, spectat officium educationis naturalis; et illud officium oritur ex jure naturae, sicut et generatio ipsa quae est illius fundamentum, et vi cujus filius est quasi paternae personae quaedam reproductio et amplificatio, ac proinde res parentum priusquam sit civilis societatis membrum. Item, ad Ecclesiam, quae vitae supernaturalis parens existit, pertinet supernaturalis educationis officium, quod officium ab Ecclesia committitur parentibus, quatenus, sacramento matrimonii, conjuges christiani effecti sunt.

Jam vero, jus illud quod parentes habent providendi puerorum educationi sive naturali, prout sunt vitae naturalis principium, sive supernaturali, prout hoc munus ipsis ab Ecclesia fuit demandatum, certe non oritur a societate civili; quinimo, societati civili ipsi logice praexistit, sicut et societas domestica ipsa societati civili invenitur prior, et jura sua independenter ab illa possidet, neque his per civilem conjunctionem destitui potest. Ideo enim societas domestica civili incorporatur, ut, auctoritatis temporalis patrocinio, in suis juribus exercendis efficaciter adjuvetur. Ergo scholarum magistri, erga alumnos suos, non Status civilis sed parentum potius gerunt vices, et, ubi agitur de pueris christianis, in officio suo im-

plendo, Ecclesiae auctoritati se subjiciant necesse est.

Haec omnia praeclare ac nervose tangit Leo XIII, in sua Encyclica *De operum conditione*, 15 maii 1891 :

« Quemadmodum civitas, eodem modo familia
« veri nominis societas est, quae potestate propria,
« hoc est paterna, regitur. Quamobrem, servatis
« utique finibus quas proxima ejus causa praescripse-
« rit, in deligendis adhibendisque rebus ac justae
« libertati suae necessariis, familia quidem paria
« saltem cum societate civili jura obtinet. Paria saltem
« diximus, quia cum convictus domesticus et cogita-
« tione sit et re prior quam civilis conjunctio, priora
« quoque esse magisque naturalia jura ejus offi-
« ciaque consequitur. Quod si cives, si familiae
« convictus humani societatisque participes factae,
« pro adjumento offensionem, pro tutela dominationem
« juris sui in republica reperirent, fastidienda citius
« quam optanda societas esset. — Velle igitur ut
« pravaleat civile imperium arbitrato suo, usque ad
« intima domorum, magnus ac perniciosus est error....
« Patria potestas est ejusmodi, ut nec extingui,
« neque aboleri a republica possit; quia idem et
« commune habet cum ipsa hominum vita principium.
« *Filii sunt aliquid patris*, et velut paternae am-
« plicatio quaedam personae; proprieque loqui si
« volumus, non ipsi per se, sed per communitatem
« domesticam in qua generati sunt, civilem ineunt
« ac participant societatem. Atque hac de causa,
« quod *fili sunt naturaliter aliquid patris.... an-*
« *tequam usum liberi arbitrii habeant, continen-*

« *tur sub parentum cura.* Quod igitur Socialistæ,
« posthabita providentia parentum, introducunt pro-
« videntiam reipublicæ, faciunt *contra justitiam*
« *naturalem*, et domorum compaginem dissolvunt. »

Ergo, ea solum auctoritas Statui civili super scholas adscribenda est, quæ, intactis Ecclesiæ ac parentum juribus, opus gravissimum educationis feliciter tueri ac promovere valeat. Ad principem, quippe, pertinet sumptibus publicis, si expediat, erigere scholas, aut saltem per varias liberalitates subvenire jam erectis, eas ab injustis defendere vexationibus. Imo potest invigilare, ne aliquid in eis fiat quod bono temporali communi noceret, et ut sufficienter constet de candidatorum idoneitate ac scientia, pro officiis quibusdam ad civium utilitatem ordinatis. Hæc porro jura Status nullo modo laeduntur per interventum Ecclesiæ in scholarum regimen.

Sic igitur respondendum ad ea quæ opponuntur n. 296.

301. *Ad 1.* Impendat Status suam sollicitudinem ut civibus beneficium christianæ educationis obveniat, modo id non faciat sibi assumendo jura et officia familiarum et Ecclesiæ, sed mediis supra indicatis providendo, ut Ecclesia et familiae securius et efficacius munus sibi impositum adimpleant. Insuper, in objectione falso asseritur scholas a gubernio fundatas non posse de religione curare. Volunt enim adversarii gubernium, parentum supplere vices; at familiae christianæ non possunt non exigere ut eorum liberi christiane instituantur.

302. *Ad 2.* Ex eo quod juventutis educatio ad societatis civilis bonum aut malum plurimum faciat,

non sequitur auctoritatem temporalem posse circa illam, tanquam de re ad suum forum pertinente, statuere; secus, societas civilis, praetextu boni communis, de omnibus externis civium actibus, considerando ea ut bona quaedam socialia, disponere posset; et sic pecudum more homines passim cogentur. Nonne valde interest ut familia, seu societas domestica, bene regatur? Ideone licebit principi se in interiori familiarum intromittere? Minime prorsus; sed sufficit si parentibus et filiis, prout oportuerit, praebeat adjutorium, et impediatur eorum nimios excessus. Pariter, auxilietur princeps familiis et Ecclesiæ, in educationis opere perficiendo, sed se eorum loco non substituat.

Utrum vero et quantum bono communi inserviat instructio obligatoria, ita ut Status civilis illam sapienter decerneret? Judicandum ex circumstantiis; et praesertim videndum utrum, sub illa specie, non lateat propositum facilius animos corrumpendi. Sed dato patres familias adigi posse ut suos filios instruendos curent, non ideo licebit principi suas scholas, suas methodos, suam instructionem omnibus imponere, et Ecclesiam a scholis dirigendis amovere.

303. *Ad 3.* Ut constet de idoneitate et scientia candidatorum ad officia publica, sufficit Statum civilem mediis aptis certum fieri eos, in scholis quas elegerint convenienter edoctos fuisse, ac competentem sibi ibidem comparasse scientiam. Sed necessarium non est ut ipse gradus conferat academicos, atque exigat solas adiri scholas officiales. Relinquatur ergo arbitrio parentum filios suos ad hanc vel illam scholam, prout opportunius judicaverint, mittere; nam, ut

advertit Leo XIII nuper citatus : « Quod Socialistae, « posthabita providentia parentum, introducunt pro- « videntiam reipublicae, faciunt contra justitiam na- « turalem, ac domorum compaginem dissolvunt. »

QUAESTIO VI^a

In quo consistat jus imperii, et qua ratione nonnulli hoc Ecclesiae denegent?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 754... 779. — Knoll : *Theol. gen.*, § 243... 250. — Perriot : *de Eccl.*, p. 379... 391.)

304. Resp. ad 1. Potestas imperii ea est quae societatis alicujus membra ad illius finem dirigit, compellendo ut recte juxta hunc finem operentur. Differt a potestate magisterii, quae veritatis cognitionem, non bonum operandum directe respicit.

Potestas imperii tres alias complectitur : legiferam, scilicet, judiciariam et coactivam. Potestas legifera proponit obligatorie media finem societatis proprium attingendi ; potestas *judiciaria* providet ut haec media rite applicentur, quod fit, sive verum legis sensum assignando, sive statuendo an talis actio sit vel non legi conformis, sive, ubi agitur de poena infligenda, pronuntiando utrum constet de patratione delicti ; potestas demum *coactiva* cogit poenis violatores legum, seu, imponit reo obligationem subeundi poenam, et hanc poenam etiam invito infert.

Exinde liquet totam difficultatem versari circa potestatem legiferam et coactivam ; quia judiciaria necessariam habet connexionem cum aliis duabus : legifera quippe secum trahit potestatem determinandi

sensum legis, et sic decernendi in genere quatenus actiones huic contrariantur, quatenus non ; coactiva vero exerceri nequit, nisi prius magistratus judicaverit de facto legem in tali casu fuisse violatam.

305. Resp. ad 2. Heterodoxi principaliter erraverunt circa potestatem Ecclesiae legiferam aut coactivam ; non enim ei denegant judiciariam, nisi propter legiferae aut coactivae exclusionem.

I. Circa potestatem *legiferam*, duplex est error :

1^{us}, eorum qui putarunt nullam esse Ecclesiae jurisdictionem, sed omnem ejus auctoritatem in dirigendo et suadendo positam esse. Ita Waldenses, Joannes Hus, Marsilius Patavinus, Wiclefus, Calvinus, Lutherus, etc.

2^{us}, eorum qui concedunt Ecclesiae potestatem ferendi leges, sed a principibus laicis mutuam, ac proinde non propriam. Ita Marcus Antonius de Dominis, Richerius, etc.

II. Circa potestatem *coactivam*, multiplex est error :

1^o alii hanc penitus rejiciunt, nisi habeatur ex principis concessione. Ita fert celebris propositio Marsilii Patavini : « Nec Papa, nec tota Ecclesia congregata « potest ullum hominem, quantumcumque malum, « punire poena coactiva, nisi habeat ab Imperatore « potestatem.

2^o Alii agnoscunt infligi posse salubres poenitentias in Sacramento reconciliationis, sed contendunt poenas extra-sacramentales non valere nisi pro iis qui seipsos illis libere subjiciunt. Ita Morinus, qui forum Ecclesiae contentiosum non distinguit a foro poenitentiali. Cum Morino sentiunt Van-Espen, Fevret, Dupin, Giannone, etc.

3° Alii non negant poenas infligi posse, etiam extra-sacramentaliter et invitis, sed limitant ad poenas exteriores spirituales, seu privantes spiritualibus bonis, ut sunt censurae, irregularitates et inhabilitates ad munia ecclesiastica. Sed alias temporales poenas negant Ecclesiam adhibere posse, nequidem per auxilium brachii secularis. Ita Donatistae, juxta S. Aug., item Waldenses, Albigenses, Hussitae, etc...

4° Alii fatentur decerni posse poenas exteriores etiam temporales et corporales, sed ea conditione ut Ecclesia id faciat per magistratus civiles, non per proprios.

5° Alii demum coactivam Ecclesiae potestatem coarctant ad multas pecuniarias, aut poenas corporales sed inferioris gradus; unde majores poenas corporales, v. g. carcer perpetuus, privatio cujuscumque dignitatis... imponi nequeunt ab Ecclesia.

306. Utrum autem coactiva Ecclesiae potestas se extendat etiam ad *jus gladii*, ut aiunt, disputant theologi et canonistae. Sane Papa et Concilium generale jus illud exercere queunt saltem *mediate*, seu, jus habent a catholico principe exigendi ut hac poena in delinquentes animadvertat, si id postulet Ecclesiae necessitas; ita omnes Catholici. At possetne supremus Ecclesiae magistratus hanc poenam per seipsum decernere? Non una est doctorum sententia; quam controversiam ab aliis agitandam relinquimus, utpote inutilem; quia, de facto, tali jure nunquam Ecclesia usa est, saltem quia defuit opportunitas, aut quia praesto erat societatis civilis ministerium.

QUAESTIO VII^a

Utrum Ecclesia acceperit a Christo triplicem potestatem: legiferam, judicariam et coactivam?

307. Videri potest quod non.

Etenim, 1° B. Paulus saepe extollit libertatem qua, donante Christo, fruuntur ejus discipuli. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia* (Rom., IV, 14); *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (II Cor., III, 16); *Non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit* (Gal., IV, 31). Lex autem libertati opponitur; ergo Christiani ab omni lege positiva sunt immunes.

2° Praeterea, coactio voluntarium excludit, quia in invitos exercetur. Jam vero, finis spiritualis ad quem ordinatur ecclesiastica potestas, non obtinetur coactione, sed actibus liberis tantum. Non habet igitur Ecclesia ullam potestatem coercitivam.

3° Praeterea, Ecclesiae auctoritas, et est spiritualis, et omnimodam spirat mansuetudinem. Sed, nec tali potestati, nec tali mansuetudini convenit temporales poenas infligere; eo magis quod hae poenae, nedum delinquentes corrigant, pejores reddere solent.

308. **Sed contra dico:** *Ecclesiae, jure divino, competit suprema et independens tum legifera, tum judicaria potestas; et insuper coactiva, qua suarum legum violatores poenis etiam temporalibus atque corporalibus, et quidem gravioribus, coerceat.*

Constat 1° *Scriptura sacra.*

Christus dixit Apostolis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo* (Matth., XVIII,

18); quibus verbis Ecclesia accepit facultatem imponendi quodcumque ligamen legis et poenae. Habet itaque potestatem legiferam et coactivam, quae iudiciariam secum trahit, ex dictis.

Insuper, triplex haec potestas distincte memoratur in Scriptura. In concilio Hierosolymitano, jubentur fideles ab immolatis simulacrorum, sanguine et suffocato; quae lex amplius non viget, ac proinde est ecclesiastica. En exercitium potestatis legiferae.

In litibus inter fratres supervenientibus, recurrendum est ad Ecclesiae tribunal, cujus sententia servanda est, ex Christo (Matth., xviii, 17). En potestas iudiciaria.

In causa incestuosi Corinthiani, B. Paulus absens iudicat, et reum tradit Satanae in interitum carnis (I Cor., v, 3...). Pariter Hymenaeum et Alexandrum tradit Satanae, ut discant non blasphemare (I Tim., i, 20). Item ad Timoth. (I Ep., v, 17) : *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus*. En potestas coactiva.

Constat 2^o *perpetua Ecclesiae praxi*.

Historia ecclesiastica tota redundat legibus a Papa aut a conciliis latis; item causis adversus simplices fideles, aut sacerdotes, aut episcopos, aut reges et imperatores ipsos agitatis; necnon sententiis poenalibus temporalibus, etiam gravioribus, quales sunt: publica poenitentia, ex qua sequebatur privatio cujuscumque officii militaris et civilis; carceres ecclesiastici etiam perpetui; virgarum inflictio; exilium; quinimo, poena privationis bonorum una cum servitute, quam statuit Conc. Later. III contra haereticos; poena depositionis, quam Conc. Later. IV minatur contra do-

minos temporales qui terras suas ab haeresi purgare neglexerint; poena omnium bonorum confiscationis a Concilio Trid. (sess. XXV, de Reform. c. 19) duellantibus imposita.

Jam vero, non ex principum concessione hanc praxim tenuit Ecclesia; siquidem ita se gessit omni tempore, etiam quando reges et imperatores eam totis viribus persequerentur. Caeterum, principes hanc potestatem non dedissent nisi ipsis subordinatam, cumque recursu et appellatione ad suum proprium tribunal; ac multo minus contra seipsos. Ergo...

Constat 3^o *definitionibus Ecclesiae*.

1^o Joannes XXII, in sua Constitutione : *Licet iuxta doctrinam*, articulos Marsilii Patavini, inter quos unus est asserens « quod Papa vel tota Ecclesia simul sumpta, nullum hominem quantumcumque scelertum potest punire punitione coactiva, nisi imperator daret eis auctoritatem », damnat « velut S. Scripturae contrarios et fidei catholicae inimicos, haereticos, seu haereticales et erroneos. »

2^o Pius VI, in Bulla *Auctorem fidei*, de quarta propositione synodi Pistoriensis, quae negat ad Ecclesiam pertinere exigere, per vim exteriorem, subjectionem suis decretis, sic loquitur : « Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionem suis decretis exigendi, aliter quam per media quae pendunt a persuasione; quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi, inducens in systema alias damnatum ut haeticum. »

3° Pius IX, in Encyclica *Quanta cura*, damnavit sequentes propositiones : « Ecclesiam nihil debere « decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium ; « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum « promulgentur a civili potestate ; Ecclesiae jus non « competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi. » In Syllabo autem (§ 5, 6) reperire est plures ejusdem generis errores proscriptos, ex quibus sufficiat indicare propositionem XXIV : « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. »

Constat 4° *ex natura societatis perfectae*.

In omni societate, necesse est ut qui curam communitatis habet, possit subditos ad societatis finem ordinare ; quae ordinatio praecipue fit per legem ; hinc est quod lex a D. Thoma definitur : *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata*. Sed leges finem suum satis non obtinerent, si delinquentes justis poenis non coercerentur ; potestas autem leges ferendi et delinquentes coercendi, absque potestate judiciaria, exerceri nequit. Ergo triplex praedicta potestas ad rationem societatis perfectae requiritur, ac proinde Ecclesiae, quae est societas perfecta, necessaria est.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 307.

309. *Ad 1.* Libertas illa christiana, de qua Paulus, est libertas, vel a jugo observantiarum judaicarum, vel a servitute peccati, vel a timore servili, ut contextus evidenter probat. Et revera ipse Paulus potestate imperii usus est.

310. *Ad 2.* Libertas requisita in prosecutione finis Ecclesiae, est libertas sumpta pro immunitate a necessitate, non autem libertas sumpta pro immunitate ab obligatione ; secus nulla societas, quantumvis perfecta, haberet potestatem coactivam, quia, in omni societate, opera moralia libere fiunt, et peccata libere vitanda sunt. At coactio poenalis non opponitur libertati juxta priorem sensum intellectae, quia non inducit necessitatem, et relinquit actum simpliciter liberum. Insuper, timor poenae est stimulus excitans ad bonum libertatis usum, et ita plurimum conducit ad finem societatis melius assequendum.

311. *Ad 3.* Jam ostendimus n. 286 potestatem Ecclesiae dici spiritualem ratione finis, non autem mediorum, et imo huic fini attingendo necessarium esse prorsus ut exerceatur circa res temporales et externas. Illa equidem auctoritas mansuetudinem redolet ; sed haec mansuetudo procedit ex charitate, et vera charitas exigit ut, per salubrem severitatem, cohibeantur atque praeveniantur scandala pluribus valde nociva. Demum, si quidam ex poenis pejores fiant, ipsorum culpa est, non Ecclesiae.

QUAESTIO VIII^a

Quale jus Ecclesiae competat circa res temporales quibus utitur ?

312. *Resp.* Videri potest Ecclesiae nullum jus competere, aut saltem non competere proprium et independens, possidendi bona temporalia.

Etenim, 1° Christus viris ecclesiasticis interdixit omnem temporalem possessionem : *Nolite possidere*